...ior: Bapt.
Episcopus Praemisliensis

Mucharski Ludovici Petri: Panegyrica
gratulatio.

63

PANEGYRICA GRATVLATIO

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. JOANNI BAPTISTÆ ZAMOYSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO PRÆMISLIENSI.

Cùm nuper Mense Aprili

Honoris Sui Pontificij Sacram Cathedram auspicatò adiret,

Inter festa, lætaque Dioeceseos vota & plausus

OBLATA

Demissimæ Venerationis ergò

Eidem Patrono Suo Illustrissimo & Reuerendissimo

A LVDOVICO PETRO MVCHARSKI,

Canonico Iaroslauień. S. Theol. & Iurisprud. in Acad: Cracouień. Auditore.

Anno Iubilæi Magni M. DC. L.

CRACOVIÆ,

In Officina Francisci Cesarij, S. R. M. Typog.

7. g.

In Arma Gentilitia Illustrissimæ Domus ZAMOYSCIANÆ.



I.

IAm tutò Romana Fides contempserit Hostes,
Pro qua ZAMOYSCI dimicat HASTA triplex.

II.

HÆreseos procul Hydra triceps, colubrique trifauces,
In vos PONTIFICI, sunt TRIA Tela domi.

Jllustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. JOANNI à ZAMOŚCIE ZAMOYSKI,

EPISCOPO PRÆMISLIENSI,

Prosperitatem.

OLim iam Virtuti ac Honori Tuo destinatum à me Vectigal persoluissem, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME ANTISTES, si quantum animi in Tua præconia, tantùm & facultatis habuissem. Neque enim est tam celer calamus meus, quàm Tuus animus: promptior Tibi est agendi copia, quàm vel disertissimo cuiq; dicendi. Solenne videlicet est ZAMOYSCIANO, hoc est Tuo genio grandia queq; mente concipere, moliri opere, præclarè facta ad culmen & fastigium, perducere. Vtinam ego humili tantarum rerum tractatione, non deteram aliquid de Tuorum amplitudine gestorum. Non tam enim vereor, ne me nimium in Tuis putes laudibus, quàm ne parcum. Nisi quòd ea sit Tuorum conditio meritorum, vt ijs, nec addi quicquam commendatione, nec detrahi poßit vituperio. Ingens illis theatrum est suæ virtutis conscientia; quâ facem præferente, emeritum hoc PRÆMISLIENSIS CATHEDRÆ attigisti culmen. Vel hoc ipso securus æternitatis, quòd eam felici contentione demereris, Tuæ vtilior DIOECESI, quàm Tibi. Nec habeo necesse consilij mei rationem explicare, cur exilem hanc & tenuem obsequij mei pensionem, Tuæ ILLVSTRISSIMÆ iuxta ac REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS pedibus aduoluam: non vno debitorum nomine obligatus, Domino, Fautori,

Patrono, Mecænati, quid anxiè causas officiorum expendam? vno omnia concludam verbo: dissimulari à me, Tuorum postremo Clientum, hoc pietatis tributum (nam gratitudinis Nomen minùs adæquat debentis mentem) sine piaculo nec potuit, nec debuit. Tuo ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRÆSVL beneficio primùm vnctus Athleta, confirmatusquè, in eam vsq; durami ætatem; Tuo deinde munere sacris initiatus Ordinibus, in eo repositus sum gradu, ex quo facilior esse possit ascensus ad altiora, ter Sacri, ter tremendi altaris, ministeria. Totum id quantum quantumq; est (quod certè maximum est) ex ILLVSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ benignitatis Tuæ indulgentiâ mihi vndequaq; immerito prouenit. Quidni igitur Pontificiam hanc exosculer dexteram, tantarum opificem gratiarum? quæ non ante fidelem pergratæ mentis memoriam effugient, quàm spiritus, artus hos animare desistat. Altiùs profectò pectori meo Illustriss: Tuæ beneficentiæ monimenta impressa sunt, quàm vt ea perleuis obliuio, aut temporum diuturnitas valeat abolere. Mihi certè nihil tam erit, immò nihil est tam in votis, quàm vt aliquando partem duntaxat illorum è cumulo meritorum, quo me Tua opprimit beneficentia, reponere possim, (cùm aliter non liceat) obsequendo: Quia remunerandi vices Tua nec patitur nec admittit amplitudo. Ita ad cursum beneficiorum effusa, vt diem se cum Tito amisisse existimet, quâ non decurrat Olympia largiendi. Talem Te diu Sarmatiæ, diu ILLVSTRISSIMÆ ZAMOYSCIORVM FAMILIÆ decus prægrande, Talem PRÆMISLIANO Tractui seruent Cœlites exorati. Datum Crac. *Ex Ædibus Excellentissimi D. Parentis & Benefactoris mei, Philosophiæ & Medicinæ Doct: & Profess. S.R.M. Med: Phys. Die vltima Maij. 1650.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Humillimis obsequijs

semper deditissimus

Ludouicus Petrus Mucharski,
Canonicus Iaroslauień.

PANEGYRICA Gratulatio.

NON aliter Tuæ Celſitudini, in Sacri honoris apparere contigit faſtigio, quàm in ortu Solis, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES. Exoreris quidem Cælo, & ſolo PRÆMISLIANO, at non Tibi, qui iam olim natiuo clariſsimus lumine, aduentitia reſpuis ornamenta. Quaſi Diuino eâ parte polleas priuilegio, quòd nec adijci, ad Tuam Amplitudinem quicquam poſsit, nec ſubtrahi. Adijciat Terrarum Regnorumq́ue Domitor Macedonicus, ſuæ cubitum magnitudini, non plùs adijciet, quàm ex aliena detraxit ſtatura. Tu Te ipſum Tibi ſufficere ratus, quid cupias requiraſué nihil ampliùs inuenis. Hoc ipſo maior cæteris quo melior. Nec primum vota noſtra ingreſſus es, quæ olim hæreditariæ Virtuti Tuæ famulabantur. Sed renouatæ iſtud lætitiæ eſto incrementum. Tuæ ſolius conceditur prærogatiuæ, tantum Diuino ſuppar in animos gerere imperium. Talis nempè ſub Te arbitro apparet ordo virtutum, qui ſe tutò in publicum exponere poſsit; aureiſq́ue telis, Tuis videlicet, abditiſsimas mentium expugnet arces, & munita cordium diruat propugnacula. Glorieruſ ſanè Ageſilaus ſe triginta millibus ſagittariorum pulſum ab vrbe diſceſsiſſe. Tuorum nos beneficiorum longiſsima obſeſsi acie gratiarum miſsilibus expugnati, quicquid tenuimus in ærario pectoris, Tibi cedimus; æternùmq́ue nos victos confeſſi, à nobis ipſis exulamus, vt Tibi animorum debitam poſſeſsionem tribuamus. Neq́ue Te magis in ampliſsimo hoc dignitatis ſubſellio, quàm in viſceribus noſtris ſediſſe arbitrare, vel ideò, quòd mentium Princeps dici malis. Ita Tu per gloriam creſcis, vt gloriæ incrementum addas, ita ornaris, vt ornes potiùs. Nouimus eâtenus in Te dignitatem agere, vt magis patiatur, nec minùs Tibi ſe, quàm Te ſibi gratuletur. Cùm enim ſemper maximus fueris, videri nolebas; videbaris tamen, & cùm magnificos Infulatarum ſedium honores fugeres, ne honorum acceſsione creuiſſe cenſereris, quærebâre. Nec Tu Infulas, ſed Te Infulæ certatim accurrentes

 ambiebant.

ambiebant. Satis ſplendidæ Purpuræ, fatebantur ruborem, ni à Te meliùs effulſiſſent. Patet iam omnium certitudini, quod antea in controuerſiam veniſſe potuerat: ampliſsimam hanc Sedem de Tuo nouum gloriæ augmentum accepiſſe. Illeque nodus Gordio difficilior, Tuo faciliùs ſoluitur ingenio, quàm olim Macedonico gladio. Non te gloriæ, quamuis illuſtre ſit, ſed Tibi gloriam, quod illuſtriùs, deſeruire. Nam qui propiùs clariſsima Tua opera trutinaſſet, non dicam enim inſpexiſſet (cùm illuſtribus non aliter latere quàm ſoli contingat) aduertiſſet, illi Tuæ ſummarum rerum architectæ, cum ſumma virtute prudentiæ, opinione maius debitum à Patria deberi. Ea enim eſt virtutis conditio, vt dum ipſa ſibi maximum præmium ſit, omnes attamen debitores beneuola exactrix, omnes ſtipendiarios, optima pulcherrimarum hæres mentium habet, ſuoque ſubijcit ingenio. Diu quærebat POLONIA, omniumque certabatur deſiderijs, quid tandem dignum ZAMOYSCIO foret? quem cùm nomino, quantæ virtutis documentum, quàm expolitum ſapientiæ ſpeculum, quàm illuſtre ſummæ probitatis exemplar commemoro? Neque modo miramur in Te quæ videmus, cùm quantumcunque ſit, quod homines maximum iudicare conſueuerunt, minùs ſit Tuâ dignitate. Neque ex hac ſublimi metimur altitudine quãtus ſis, quis enim Tuam valeat definire virtutem? quæ nullis limitibus ſepta continetur. Nec ideò tamen ſublimem Te fingimus, quòd huc euaſeris, quò vix magni ſummis conatibus eluctantur. Solenne habet vulgi conſuetudo, ex euentu iudicium, de rerum hominumque magnitudine ferre. De Te ante omnes euentûs tulit, dumque ad Tuorum obſtupeſceret meritorum augmentum, approbauit: Summæ virtuti paruam eſſe quæcunque ampliſsima creditur maieſtatem, impar, vtrumque orbem, præmium; ideòque in Te ſublimitatem quòd ſublimis, ideò illuſtriſsimum, humanoque maiorem aſpicimus & ſuſpicimus. Quicunque euentum, ſuarum conſtituerunt procuratorem dignitatum, adeòque ab illius pependerunt indulgentiâ, irrito damnati auſu, non mediocrem naturæ riſum, & non humilem virtutis iocum fecerunt. Eò quòd iniuſtiſsimo hominum cenſori ſe ſub haſtam venales expoſuêre. Quoſcunq; nimia blandienti fouit ſupercilio fortuna, infelicitatis diſcrimine repetundarum accuſatos, miſerrimo repetijt, quæ olim largiebatur infortunio. Vt veriſsimum credatur.

Quod Fortuna donat, donat vt auferat;
More fallentis tenerum iocoſa
Matris alumnum.

Tu non inter euentus numerare debes, quod de Te Fortunam etiam nolentem facere oportuit. Nouit multis à Te edocta fortunâ modis, qualiter Tibi deſeruire teneatur. Fatorum moderator dici poſsis: Quæ ita ſe Tibi impendunt, vt Tuo pendeant à regimine, magniſque ſubijciantur obſequijs.

ſequijs. Aliorum ſit felicitas, lenocinio ſortis vti miſerabili rerum ſuarum ergaſtulo quomodo conſulant, nî ſtipem erogare à fortuna Belizario egentiores cogantur. Tu naturâ factus es, qui fortunam inſitâ dignitatis Tuæ vi, cogeres Tuæ opifex fortunæ, ne ſtatuat niſi iuſſa de Te quidpiam. Nec tantus es, quantum honores fecerunt, ſed quantus honores merebaris. Suo nimirum non mutuato lumine ſit illuſtris oportet, qui magno cum dedecore, cum Luna, innatam repetere nolit obſcuritatem. Sunt nimirum, quorum dignitas ſtaturâ altior, ſuam ipſis obijcit infantiam, commodatumque exprobrat ſplendorem, & emptitia arguit ornamenta. In Te equidem nouum quidpiam nobis, Tibi vſitatum ſpectare licet. Quanta, quanta PRÆMISLIENSIS hæc Maieſtas eſt, verecundum vultu fatetur ruborem, quod tantilla, à Tanto occupetur. Nec melior illi purpura, quàm à rubore Tuis lanceis expreſſo. Vna dies radios alijs, & Eclipſim vna attulit. Inuita lux rarò vitam habet, ſcenicuſque fulgor, à quo venerat, reuertitur. Exemit Te ex eorum numero Tua virtus. Faſtidiſti dignitates (quas nô propriâ acquireres induſtriâ) ad ſumma omnia natus. Et vt Te inde rimemur, vnde omnia ſplendidiſsimo quodam tractu deriuaſti, liceat ILLVSTRISSIME ANTISTES, Tuam è Faſcijs euoluere dignitatem. Et in cunis puerile nihil, præter corpus admirari. Stupuit aliquando attonita antiquitas magnorum natales Dynaſtarum. Eò quòd à communi, ſors illos ſecernere ſoleat, quos maximos orbi, in lucem educit publicam. Admirabatur in vtero Olympia imaginarium leonem, Commodi parens ſerpentem, Aſtiagis filia vitem, mirabatur. Portentoſa nempè in ſuis natura, illum terribilem, hunc acerrimum, poſtremum fæcundiſsimum, ominabatur. Procul Te à ſuperſtitioſæ antiquitatis fabula illuſtris exemit natura, à quo omne ſemouit portentum. Effectu tamen in Te Alexandri leonem, Commodi ſerpentem, Cyri vitem, perfecit, ſcilicet acerrimum boni publici defenſorem, humani Diuinique iuris vindicem, fæcundiſsimum ſummarum virtutum ſeminarium. Videbatur in Cunis Tua, humanâ maior ſpecies, indoles præcelſa, os ad ſuauitatem compoſitum. Et ex paruo æſtimabaris, quantus futurus eras corpore. Præcox nempè virtus procul extra naturæ fines verſatur: promitque indicem vultus maieſtatem impubis ætas, quantum in maturitate virtutis expoſcat apparatum Aſſentatorium, & ad aurium illecebram confictum videtur illum, Magni generis probrum plebeium, & Pulchræ nepotem turpiſsimum Neronem, radiantibus circa caput flammis, oriente ſole, in cunis apparuiſſe. Illuſtriſsimus nempè & prodigus in commune Sol, affulſit naſcenti ſemel, ne ſuper impium non oriretur. Amiſſæ vel in Cunis parentabatur infantiæ. Si & in vtero infantem non tyrannum credas. Qui quod Matri indixerat necdum natus certamen, perfecit hoſtiliter, poſtquam excreuiſſet in laniſtam. Ita profectò liberaliſsimum in publicum lumen, oritur aliquandò in terrorem, nequaquam in omnes peccaturum, cum legi deſeruiat.

ſeruiat. Te verò Sol ſpectauit abditiſsimorum longinquus ſpeculator, naturâ maiorem exoriri, totiſque in Te actus vibrabatur radijs, noua properando luminum vectigalia. Eâ conditione, quod nihil in Te præter obſequium erogaret. Non parcum videlicet ſplendoris genus Tuum, eò Te in orbem, adeòque conſpectum vniuerſorum expediuerat ſatellitio, quò omnibus magnus appareres. Cingebaris domeſticæ virtutis ampliſsimo comitatu, hoc eſt fido innatæ probitatis famulatu. Apparebat in anguſto corporis palatio ingens hoſpes animus, longam deſcribens agendorum ſeriem: Mirabatur è propinquo, illuſtre ſatellitium lateris, nouumque athletam ad noua haſtiludia prouocabat. Videbat in Cunis iacentem innocentiam, magnarum mentium pediſſequa gloria, gauiſaque eſt eum oriri, quo ampliſsimum repleret honoris theatrum. Quodſi hæc talia, tantaque naſcenti Tibi attributa auſim aſſeuerare, ea Te in orbem intuliſſe auſpicia, erexiſſe trophæa, qualia nec longa aliorum valuiſſet maturitas: nemo me ſuperſtitioſæ, non iure accuſatum, damnauerit arrogantiæ. Nam quemadmodum inuſitatum non eſt, naturam florenti placidòque euentuum nexu origini alludere: ita venturæ laudis imaginem à quopiam importari in terras nouum cenſeri non debet. Glorientur nobiles Thebæ primam Herculis laboraſſe induſtriam, vt triſtia infantili dexterâ abigeret monſtra. Tu inter victorias natus, & triumphos, monſtra quæ vinceres, non habebas. Nulli inimicus. Illorum hoc natiuæ tribuatur rabiei, qui ne in orbem quidem exiuêre, nî hoſtes apparuiſſent, nati in publicæ pacis detrimentum. Te natura mitem lenemque compoſuit, vt planè ad Infulas effingeret. Loquatur & Seleucum anchora, quam coxæ artificioſo naturæ inſculptam habuit ingenio. Aſylum ille vltimaque naufrago ſpes regno fuiſſe concedatur. Tu ſine prodigio, vltra prodigium, ſecuræ tranquillitatis domicilium, & portus vniuerſi. Non mouemur riſu Zoroaſtris, quem inuerſâ lege naturæ, pro lacrymis & gemitu emiſit: non humili ille riſu, iocoſæ initium irriſit vitæ, ſubſecuturam inuitando infelicitatem, præcox hilaritas infami præludebat miſeriæ. Tu pulcherrimâ exhilaratam ſpe inuitaſti POLONIAM, futuræ præcurſor felicitatis. Tali, tantoque ILLVSTRISSIME ANTISTES apparatu veniſſe debueras, qui ad curſum perennitatis in vitæ ingreſſu inſtructus exiueras. In ſummo ſedeat oportet, qui magni nominis campos, magno ingreſſus paſſu, ſuo gloriam calculo computauit; cenſûque naturæ ac fortunæ opulentus in partem melioris boni incubuit. Vidit nempè æterna illa mens Tibi inprimis hæreditatem laudis publicæ, à Maximo Parente relinqui, Teque ſubſecuturum eorum portitorem onerum, quibus ferendis ſoli ſufficiunt humeri, qui magni ſunt. Sed ô fatum! Tua ILLVSTRISSIME ANTISTES infantia, meam mihi objcit tenuitatem & pueritiam, quod in puero natiuam nequeam celebrare virtutem. Ita ortus Tuus obſcuram eloquentiæ illuſtrat facultatem, vt ſi tutò aſpicere tentet irrito

auſu

ausu damnetur,& in primo caliget ingressu. Difficiliùs nempè Sol in ortu videtur quàm in occasu. Dissipat verò lynceos quamuis oculos, lux maxima. Neque solus timendus es, nam longam ante Te Auorum, Atauorumque splendidissimam præmisisti claritatem, ne absque prænuntijs orireris. Non Tu Antecessoribus Tuis eripis splendorem, quamuis omnem multorum solus possideas. Concessissent fata FLORIANO SZARIO Sanguinis sui (qui in angusto contineri olim cùm nequiret, aperta per viscera largissimè effundebatur) longam gloriæ prouidere fæcunditatem. Quàm longo tractam ordine vidisset Nepotum seriem? quanta gaudia pectus illud spei plenum inundassent? quanta seges lætitiæ se obtulisset, cogitationem in venientia secula porrigenti, occurrissent Ducum Purpuræ, Fasces omnium dignitatum, spectasset Infulas, Pastorale Pedum, Clauas, Primiceria, omnem denique fortunam in Domo sua consedisse, vt potissima Stemmata sanguine coniungeret, POLONIAM impleret felicitate. Erexissent faciem puluere aspersam exercitus illi, quos suis deletos Hastis conspiceret. Sonuissent lætis victoriæ clamoribus, multisq; graues triumphi spolijs, surrexissent. Vidisset Gentium victorem IOANNEM ZAMOYSCIVM, Magnum Cancellarium, & Supremum Exercituum Ducem, Academiæ suæ Zamoscensis Fundatorem, Principem togâ, sagoque clarissimum, qui plures numerauit Expeditiones, ac eductas de proprio Copias, quam alij spectârunt. Probasset non bello tantùm vtiles suas esse Lanceas, sed & paci, & Religioni amicas. Cerneret THOMAM ZAMOYSCIVM, ex Palatino Kiouiensi, Magnum itidem Regni Cancellarium, non absimilem tanto Patri Filium, nullibi videlicet Gentilitia Tela reclinantem, quàm ad caput Regum, in publicæ tutelam securitatis. Contueretur IOANNNEM ZAMOYSCIVM, Capitaneum Calussień. meum benignissimum Patronum, hucusque non desistentem heroico, cum illis certare animo, ipsum in finibus Patriæ tenentem excubias, quarum, illius fortissimi Maiores, rudimenta posuerunt. Miraretur demùm reliquos fertilissimo prouentu, ex accisis ramis proceras creuisse arbores, & hinc nouas surgere frondes, hinc adoptiuos surculos, in hastatas famæ & generis ire colonias, nasci stirpes è stirpibus. Fas enim erat fæcundissimum SZARII sanguinem, omne procul sterilitatis excludere incommodum. Et quam mirifico partitionis ordine, partìm in Patriæ vmbracula, partìm in propugnacula distribui, & sepire rem Polonam & tueri, pugnaciaq; tela, alibi hostibus, cœlo alibi grauia, inueniri. Fuisset enim hæc magni generis iactura, magnis altior damnis, fæcundiq; non mediocre improperium sanguinis, nisi pulcherrimus hic connexi decoris tractus, adeoque tantum virtutis incrementum, maximo ferretur in sublimia passu, cùm magnum in origine assignârit ascensum. Longis itaque iterum vt ad Te regrediamur ILLVSTRISSIME ANTISTES Auorum successionibus, Tuam metimur Nobilitatem, per stabiles rerum

gestarum excursus peruenimus, ad nominis pondus valorem ducimus, ex semel inceptorum successuum constantiâ. Egregiè verò deriuatam auxisti seriem, quando virtutum incremento, nouos reditus gloriæ adiecisti, maiores præclarè factorum Tuorum construxisti colonias, à stipendiariâ honoris famâ, maximos in Te deriuando prouentus; Cùm interim omnia quæ virtutis erant perficeres. Itaque semper pedem figebas, vt laurum calcares. Et iam sapientiæ Cunas longè egressus, adolescenti in æuo, annisque maturior, videbâre. Quis viriles, ætatis in flore passus, tantâ posset vrgere celeritate, quantâ Tu virtutem properabas. Abeant illi, qui lucem perosi suas in abdito proiecêre animas, solisque tenebris, beati viuunt. Hac sola beati cogitatione, vt benè sit corpori, non animo. Tuus vastæ molis speculator animus, exteras etiam, suæ subiecit censuræ regiones. Pulchra hæc nobili insita animo inquietudo, velle semper scire aliquid, in hoc laborat, in hoc tota desudat industriâ. Solēt cęteri peregrinari, sed solem tantùm, & solum mutant, nimirum qui veneris, non quo, interest. Frustra damnamus secula, quæ fecimus; frustra Aularum vel Gentium mores perstringimus, quos ipsi aulis, ipsi gentibus inueximus. Docuisti exteros corrigere de POLONIS iudicium, & longè sentire altiùs, quàm fortè antè sensissent. Dum Patriæ, extra Patriam memor, Patrio more, Patriâ gaudebas virtute. Vidisti arces ibi fortasse potentiores, sed non artium dominos. Vidisti segetes ibi nasci fortasse vberiùs, sed non vberiùs viros. Vidisti esse in POLONIA quod possent inuidere aliæ gentes, & è propinquo mirari, non soli famæ, quæ attollit alia, alia deprimit, tantùm credendo. Vidisti denique, quanti possint alijs esse POLONI, si sibi fuerint. Nec habere quod timeat fortis POLONIA, nisi seipsam: vsque adeò nihil Tibi de opinione, nihil de amore Patriæ collati exteri detraxerunt. Intuemur plerosque, qui diligentiùs agrum, quàm se, quàm ingenia sua excolũt, Tu (turpè esse ratus nomina alta, parte aliquâ popularibus animis inferiora) tantùm sapientiæ collegisti, quantùm præcelsæ Nobilitatis Viro, satis esset. Meditari vix Philosophiam cæperas, quid valeret, mox tanto argumentorum nexu vinciebâre, vt subijceres perfectam examini sapientiam. Non detrectasti contra Te in acie ponere hostem, castra locare, & quidquid ille opponeret, paratus excipere; non terga contrahis, non demittis animum, in tela, & ictus, comparatum. Lateant illi, qui delicatè tractari volunt, non erudiri, oblectamenta à literis capiunt, & seriò amæna esse fingunt. Tam eras ab illis, quàm illi à bonâ mente, dissitus; quibus inter lenocinantis fortunæ ac ætatis aucupia, annorum flos ac vigor, in Scyllæo deliciarum velut lethali Syrenum cantu, in magnifici sanguinis freto, tanquam ad scopulos frangitur, & eneruatur; Et iam effæti, cùm nondum deuiruêre. O Te planè sapientiæ alumnum, quæ Te exulem è PATRIA, in præcellentem VRBIS DOMINÆ delegârit regionem, nihil quæ scirent alij ignorantem. Sed quid

quid in ſtirpe Parentibus, Patriaque alienis ad laudem præſidijs, diutiùs hæream, & oblatum vltrò proſperitatis verticem, contumaci itinere premam, cùm amæniora plura ſe offerant cacumina. Recitabit aliquandò, ex grata conſcientiæ fide, fida rerum cuſtos proſperitas, reliqua: me cum Tua prætexta ad togam attolli liceat. Illuſtre quidem eſt æquabilem ſeculorum in honoribus excipere tenorem, illuſtrique conatu moras annorum, prægredi. Magnum virtutes in Patrum portare Ceris, maius, in proprijs, maximum erraticæ ſortis leuitatem, honeſtâ actionum ſocietate, nobilitatem virtuti, commendare. Semper Diuinum quidpiam Te, Tuæ Haſtæ monebant, ferri videlicet ad metam æternitatis, ſoloque aberrantem, cælo figi debere. Sed verò ſtet eodem veſtigio fortuna, laſſata tot peregrinationibus, veriùs quàm illa Appellæa, aut qualem filio reliquit Antonius, alicuius in aula ſedeat, ſi honoribus illuſtris non eſt, obſcurus, quamuis inter aurum, & lapides viuet. Eluctatus alter in honores, Diuis propior ſedit, ſed caret opibus, grandem in nuda ſcena perſonam, ſuſtinere quî poteſt. Legimus, legimus magni exercitus Duces, ſine comitatu fugientes; legimus Regias, ſupra ſuos Reges, Capitolia, ſupra ſuos victores iacentia. Legimus vinctos ſuo auro Darios, ſuis propè faſcibus verberatos Conſules; ſolo cælo tectos Pompeios, orbis dominos; ardente Troiâ, Priamos rogo carentes: ita reliquus omnis orbis ſplendor, in eos, quos in pegmate accendimus, (aut ne accendimus quidem) ignes abit. Alij ſuorum tantum, ſed non ſuis; ſuis alij, ſed non ſuorum inſignibus, fulgent. In aliorum ædibus omnia ſplendida præter ipſos; in aliorum nihil ſplendidum, niſi ipſi. Ita nimirum elinguis, adeòque muta virtus, clariſsimis publicata vocibus, ſuorum ipſa encomiaſtes decorum, in omnium aures & animos ſe inſinuat, ſi inſinuatione opus habet. Humaniſsimam liberalitatem prædicare volo? primas ſibi gratulationis partes depoſcit, magna in Patriam, maior in Superos pietas! Hinc innata animi fortitudo, inexpugnabiles educit copias, numerat victorias, legit ſpolia, trophæa multiplicat trophæis; lauris laureas, anteponit. Ferunt ſeſe clariſsimo comitatu tot inſignia, quorum omnia ſeparatam ſibi depoſcunt Prouinciam dictionis. Inuidet lauro olea, & omnia ad laudem, omnia ad poſterorum imitationem, geſta eſſe inclamat. Omitto quæ Tua dexteritas in agendo, prudentia in prouidendo, conſtantia in perficiendo: cùm vbique iure bellico, virtutis ſuſceperis patrocinium, vbique viceris HASTATVS propugnator. Quàm Tu meliùs vſurpares illud Stoici Senatûs effatum: NEMO IN NOSTRAM VIRTVTEM LABORAVIT. Optimè illuſtria facinora fuſis ſudoribus diſtinguebas. Multam gloriam, multâ modeſtiâ adornabas. Et dum hæc prodiret, vt magis abſconderes, ſqualorem purpurâ commutaſti, & dum, religioſo receſſu obſcurares, illuſtraſti. Candidiſsimum D. DOMINICI ſequutus Ordinem, cæli colorem aſſumpſiſti, vt Diuino quàm ſimillimus appareres. Nec aliorum

censuræ, quam DOMINICI & ANGELICI DOCTORIS subesse debueras. Adeò nempè pietatis excellebas notitiâ, vt trophæis astra, astris trophæa inserere, obligari pariter, & obligare, ornare & ornari, habueris vsitatum. Immortalitatis discipulus sapere debueras cum cælitibus. Et ita vitæ disponere rationes, vt non tantùm Patriæ, & Ciuibus prodesses, sed & Superis. Macte hâc fortitudine ILLVSTRISSIME ANTISTES. In fortunæ primùm Tuæ titulos inuolasti, Tuis contra Te vsus Telis, vt de consanguineis triumphum, à Romano Senatu rogares. Nec Te lustrare trans æquora hostem oportebat, intestino domi Annibale necdum fuso. Tum didicimus HASTAS ZAMOYSCIANAS, plus opinione antiquitatis potuisse. Hac profectò viuendi destinatione, prouidisti modestiæ Tuæ, ne dissimilem animo effigiem circumferres. Malè nempè intra grauitatem tuetur sese demissio. Sanè optima gradatio, à prætextâ ad sagum, ab ostro ad religiosam solitudinem, tum demum ad Infulam & Pedum Pastorale. Noueras equidem, quantam ipsa virtus sibi faciat maiestatem, & frequentiam: quantumque felicitatis auctoramentum sit, Deo teste, & conscientiâ viuere. Et habebas equidem, quod sub paupere spectaretur tegumento. Aderat pia grauitas, verecundia, comitas plena pudoris; aderat candidi index animi serenitas, cæteræque excelsi dotes animi omnium veniebant in conspectum. Eminebat tum ex aspera illa vmbra ascetici rigoris illustris imago probitatis, cuius non ab Apelle vel Lysippo ideam exposcas. Quorum operam ne magnus quidē Macedo ambiuisset, si nosset virtutem præstantiorem fingendi pingendique magistram. Quis verò & tùm Tibi negaret purpuram defuisse, cùm meliore succo depingebaris, Tuis fortasse contra Te vsus armis. Grauissimum verò hoc genus impensarum est, quod ad virium debilitatem & languorē peruenit. Vrges Tu in illo asperitatis serijq; certaminis circo, domesticos animorum motus, semper victor; Tuique vel indissimili habitu quam simillimus. Quâ verò mente fueris erga opū affluentiam, quo supercilio aspernabêre additamenta benignioris fortunę? nihil Te cōmouebat aliorū immodico luxu exposit⁹ ornatus; non lapillorū pretio accensa tunica, non Phrygio textu, & ludentis commento artificij emollita serica. Nihil quod ad illecebram oculorum natura finxerat spectare poteras, nisi læderis. Ita ad quæsitam profuerant Tibi omnia patientiam. Spernant alij omnia humana, pro diuitijs, non honori maximo, non virtuti locum putent esse, nisi cupitæ affluerint opes. Tu adeò ditissimæ cupidus paupertatis, vt in fortunis egestatem, in obsonijs famem, & sitim numerare males. Spectabant prorsus attonitæ omnium mentes, quò tandem tantæ virtutis fulgor, publicam perosus maiestatem erumperet. Nemo siquidem erat, qui assequutus non fuisset magnam lucem, adeòque publicam in publico poni oportere. Malè tuetur illustrem angusta domus facem, ait non nemo. Inuitabat Te, edocta quanto priuaretur ornamēto

Patria.

Patria. Insinuabant sese in absentis fauorem, suoptè arbitrio, currentes dignitates, Magnificæ Domus ornamenta, ceræque Patriæ, sui, suorumq; oblitum arguebant. At Tu surdas tot vocibus (quæ flexissent durissimos) porrigebas aures. Vidimus plurimos leui voce, ab ea quæ alias infracta videbatur, elisos constantiâ. Eò quòd pessimus in dignitatum causa Orator, ambitio, maiorîbus vrgeret argumentis. Tu mœrentis Familiæ, afflictæ coloniæ, squalidæ domûs, adeò immemor extitisti; vt nec Syrenularum blandissimis vocibus, mouereris. Sunt quibus (intenta in alienum) dignitates prorogauit cupiditas, cum ijsque eo quod etiam petîsset, in solio sedit, sceptra tenuit, monstrum in purpura coronatum; sed tantum illi honorum discrimen & infamiæ prouentum, quantùm, dignitatis accessione, gloriæ existimant auctuarium, adipiscuntur; omnem Generis Nominisque amplitudinem, in aleam sortemque, committentes: Rarum nempè auita promouit virtus. Quando fæcunda ignauiæ secula, in eam venêre, virorum sterilitatem, vt rarum sola merita, teste probitate, magnum eloquantur. Raros splendida dignè vestiuit Purpura, quæ decora quamuis, dedecus operire ignorat, sed ornatam exornat ignominiam. Ludit nimirum & illudit mortalibus (ambitiosis vel maximè) seriam accincta crudelitatem fortuna: Nimirum

Hic cùm Sceptra rapit, frangit; hic antequam
Gestet, fracta videt: fluctuat heu miser
Alternaq; potentûm
Mundus diripitur manu.
Punctum est. sors auidis quod secat ensibus
Inter tot populos!

Tu verò ILLVSTRISSIME ANTISTES quod non præmijs augeri volueras, sed meritis, ne inuerso ordine ignauus possessor dignitatum videreris. Ipsos profectò honores Tua depressos ante subsellia spectasti, cùm se minores confessi, quasi calcandos, Tuæ sese substernerent maiestati; vt admitteres, ne sic quidem impetraturi, nisi amor Patriæ necessitatem imposuisset. Vt quod ab ineunte iter ingressus eras ætate, cùm minima cogitares, ad summa contendendo sensim venires. Hæc nimirum vna ambiendi honores via, quam vtinam Te Auctore disceret orbis, sine ambitu ad Infulas, ad Pedum Pastorale, ad Fasces Pontificios properare. Quo pacto effecisti, vt intra Tua nomina numeretur honor; cui aliqua deberi nullo modo permittebas, præmia; Ne non gloriosissimus, Infulæ supposuisses humeros. Adiecisti itaque magnis curis animum & manus, vt magis laboribus quàm mensibus, longa tempora recenseres. Supposuisti (ne non Atlas orbi probareris) Cœlo & Terræ lacertos, vtriusque portitor orbis, dum & Sacræ & Ciuili prodesses commoditati. Certabant equidem Infulæ, alternisque vicibus supplices, vt eligeres, accedebant, Nulla fuerat quæ Te non ambiret. Nisi in prima primum Maximi honoris gradum figere

gere malles, & optimo iure ad Maxima iter relinqueres, & quod ibi Tuam operã impendas potiùs, quod maiori opus habet virtute & industriâ. Quis referat, quanto cum apparatu Te illa Sedes accepit, quo plausu & solenni acclamatione venerabatur. Sed quid magna credimus, quæ perexigua ad Tuam fuêre magnitudinam. Nimirum ipsi tenues, etiam res non earum mole, sed nostra metimur paruitate. Erit verò tempus, quo posteri nosse gestient, quanto emolumento BACCOVIANAM incolueris SEDEM, quibus sudoribus, & laboribus propagaueris Summi Numinis, Diuorumque cultum. In tuto sua omnia, suosque credebat illa Ciuitas, quæ Te habuit assertorem. Nec profectò Sedi illi optatior contigisse potuerat, qui ex vtroque Princeps consilio & virtute conaretur cominus & eminus, HASTATA virtute hostem aggredi & vincere. Nec debuerat præter illum, qui summa virtute, summo oneri par (quantum illa Sedes erat) omnia incommoda pertulisset solus; Et quam non dubiâ omnium spe & desiderio. Nulla ibi exstabat Ciuitas, nullum oppidum, quod à Tuâ luce splendorem non accepisset, in tanta caligine tenebrarum! Prima Tibi cura, delubra arasque erigendi, perpetuâ ordinandi dote, numero amplioris Cleri augendi. Tu in alienum intentus bonum Tuorum oblitus, Tui vix memor, publica promouisti. Nemo itaque illa in regione fuit, qui Te non diu incolumem vellet. Hinc illæ Diuinæ populorum voces in Tuas excurrentium laudes. Hinc Ciuium in Te ornando, colendoque æmulatio, Magnatum amor incredibilis. Hinc omnium solicitudo populorum, sese Tibi de uouentium. Nouerant quippè quantum sit ZAMOYSCIANA protegi beneuolentiâ, Hastis fulciri Gentilitijs, (quibus etiam olim Vrbs triumphabat LEOPOLIS, quando Illustriss: & Rñdiss: Tuus Patruus, IOANNES ZAMOYSKI, Archiepiscopus eiusdem, Primas Russiæ, & Academiæ Cracouiensis Fautor singularis, illius Pastorale regimen tenebat.) Eadem ILLVSTRISSIME ANTISTES in Tua intentissima auspicia de Te vicina præstolatur PRÆMISLIA, ominatur Nobilitas, expetit Sacer Ordo, exoptant Ciues Tui, exspectat Senatus, omnes denique Diœceseos desiderant & precantur populi. Occupa igitur felici (vt iam orsus es) genio Tibi destinatum locum. Imple Pontificiæ dignitatis subsellium, produc copiosam Diuine factorum OEconomiam, describe dignitatum colonias, honorum prouentus multiplica, Fasces Fascibus, nomina nominibus, honores honoribus respondeant, Gloria virtutem, virtus gloriam comitetur: nouis auctoramentis noua subsequantur decora.

Ita vouemus, ita comprecamnr, quotquot Tuo Nomini & Honori obligati sumus.

HASTILVDIVM ZAMOYSCII, Ad Annulum Æternitatis ODE.

NON semper actâ sors super orbitâ
Deuoluet orbem: docta procacibus
Fortuna pertentata ludis,
Castilios procul angiportus.
Omitte vanis ludere frontibus,
Quisquis doloso credulus improbæ
Sortis fauori, contumacem
Instituis variare Scenam.
Quicunque mundi prætereuntia
Contaminatis pingis adoreis,
O insolentem temperatâ
Fronte, scias celebrare lusum.
Ne crede Ponto, consilio dolos
Immurmuranti; quem Notus extulit
De fluctibus, rursus resorptum
Vnda fretis tulit æstuosis.
Fortuna ludit, ludere consciæ
Lusum procacem, nota tyrannide
Dat purpurandas efferatis
Criminibus furiisque mentes.
Eheu dolosis semper Etesiis
Cognate liuor, quàm faciles mali
Offundis vndas, & quietas
Inuidiæ regeris sagittas.

Vidi labantes mole reciprocâ
Errasse Reges, regnaq; tristibus
Illusa fatis, heu! molestam
Gaudia post, celebrasse scenam.

Dedisce lusum ludere futilem
ZAMOYSCIANI conscia Nominis
Orchestra, ludendi sinistrum
Sortis iter, vice ludibundâ,

Ipsâque magni, Nominis vndiquè
Profligat vmbra: quicquid inertibus
Fatis reducit Luna, crudi
Quicquid agit leuis ira Cauri,

Duriquè Soles. Exime Te solo,
Inopinatis eripe nubibus,
Mundumquè fortunamquè pulchro
Consilij supera duello.

Hoc schema tantum, schema tamen Tuum
O Magne PRÆSVL, ludere in orbita
Æternitatis, & decoram
Ex iaculis aperire scenam.

Sunt qui fugaci nomine gloriam
Sectantur. Vmbris dissimiles nihil;
Sortisquè collimant ad orbem,
Tu ad Superos Tua Tela mittis.

Euince forti robore sidera,
Vibrato Telum, Meta sit ANNVLVS
ÆTERNITATIS, quam sonoro
Astra super iaculeris arcu.

Benè est, triumpha victor in arduo
PRÆSVL duello, iam roseo super
Hæsisse cælo Tela cerno;
Fixa sacro Tua Tela centro.

SCOPVS

SCOPVS

HASTIS ZAMOYSCIANIS

CÆLVM.

ÆTerna laudum Carmina triplice
Inſcribo Telo, diſcite Patriæ
Ciues, & alterno fauentes
Murmure, congeminate plauſus.
Fruſtra ſupremi gloria ſanguinis
Priſcas auorum pandit imagines
Nomenquè, gentileſquè ceras
Et patrios recinit triumphos.
Non ille quanquam tela frementium
Iraſquè, & enſes, contudit hoſtium
Sæuaſquè Mauortis procellas
Magnanimo tremefecit auſu.
Quanquam cruenti flumina prælij,
Denſiſq́ pigrum funeribus mare
Emenſus æratum refregit
Agmen, Achæmenidumq́ latè
Turbauit Vrbes, terruit accolas.
Vltore ferro, cùm ſpoliis grauis
Famaq́ quæſitiſq́ plenus
Nominibus, celebriq́ multùm
Formoſus oſtro, dulce fluentibus
Potatus vndis, gloriæ & ardui
Satus decori; quem viciſſim
Fata bonis meliora fatis

Pulchrè sequuntur : prô violabile &
Exile Regnum. Qui sibi subdidit
Se; grande fecit victor, omni
Victor iö celebretur æuo.

Non qui Gradiui fortis & improbæ
Sopiuit iras, sceptra curulibus
Sceptris curules, & trophæis
Addit adhuc, & adhuc trophæa.

Non qui tricenis vsq; cohortibus
Cinctus superbo & sanguine purpuræ,
Et nobili stellatus auro,
Victor erit referetq; palmas.

Vicit : caduci qui didicit minas
Frenare fati; pendet ab improbo
Non ille casu, sed secundo
Fata vocat generosus ausu.

Sed cùm nefastè crimina ferrei
Deprælientur pectoris abdita
Vtcunq; defecêre mores
Dedecorant benè facta culpæ.

ZAMOYSCIANI gloria Stemmatis
Sunt TELA magnæ mentis, & inclytæ
Propago famæ, quæ sonoro
Astra supèr iaculatur arcu,

Et iam dolosi fata negotij
Edico Vates, PRÆSVLEAS domo
Virtute fatali refigi
Dum video attonitus, SAGITTAS.

DITHY-

DITHYRAMBVS

Victricibus Jllustrissimi Telis
Jn Circo Honoris
Pro Gloriâ decertantibus.

Siste magne, siste victor,
Bella mitte, pone Tela,
Tela pugnaci metuenda ferro
Quæ cateruatas meliore fato
Hostium sternant acie cohortes
Tandem belligeræ scena tragediæ
Cessit, promeritas carpite laureas
Parumné bellicosa Tela Martio
Vicêre nisu? iam satis bello datum,
Iam decet emeritā requiescere de furore dextrā
Postquam secundis pulchra Fauonijs
Pax Martiali tempora Laureâ
Cingit, coronatisque latè
Oppida præuehitur quadrigis
Postquam roseo compita curru
Replet prædiues copia cornu,
Faustitate salus, Regnaq; fouet
Quando repositas super
Hastas, dulcis adest quies.

GLORIA VICTORI

Perpetuo Vectigalis.

Ite bella, cede Mauors
Pertinacisq́ ira pugnæ
Ira iuratis inimica dextris,
Este feruẽtes procul este rixæ
Iá sagũ cedat Toga subsequatur
Olim. difficilis Victor adoreæ,
Laudum non dubijs colla fauorib⁹,
Submisit, illustrique fama Nobiles
ZAMOYSCIVS calcauit orbis laureas
Pastorale Pedum, niueũ super Infulasq́; tempus
Gerit, secundo dic age carmine
Et fœderatam dic age gloriam
Nomenque iam ZAMOYSCIANA
TELA super requiem parasse
Et iam propero fausta secundis
Exuberanti fundere vortice
Nunquã geminata licet posśũt
Exequare satis Tuas
Almæ Præsul adoreas.

FINIS.

Soli TriVno Laus & Gloria.